Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Putasne deus e vicino ego sum dicit
dominus. et non deus de longe? Si oc
cultabitur vir in absconditis. et ego
non videbo eum dicit dominus?
Numquid non celum et terram ego im
pleo dicit dominus? Audivi que
dixerunt prophete prophetantes in nomine
meo mendacium atque dicentes. Som
pniavi sompniavi. Usquequo istud in
corde est prophetarum vaticinantium men
dacium. et prophetantium seductiones cor
dis sui? Qui volunt facere ut obli
viscatur populus meus nominis mei.
propter sompnia eorum que narrant
unusquisque ad proximum suum: sicut obli
ti sunt patres eorum nominis mei
propter baalim. Propheta qui habet somp
nium narret sompnium: et qui habet
sermonem meum loquatur sermonem
meum vere. Quid paleis ad triticum
dicit dominus? Numquid non verba
mea sunt quasi ignis dicit dominus?
et quasi malleus conterens petram? Prop
terea ecce ego ad prophetas ait dominus?
qui furantur verba mea unusquisque a
proximo suo. Ecce ego ad prophetas
ait dominus. qui assumunt lin
guas suas et aiunt dicit dominus?
Ecce ego ad prophetas sompniantes
mendacium ait dominus: qui nar
raverunt ea et seduxerunt populum meum
in mendacio suo et in miraculis suis. cum
ego non misissem eos. nec man
dassem eis: qui nichil profuerunt
populo huic dicit dominus. Si igitur in
terrogaverit te populus iste vel propheta aut
sacerdos dicens. quod onus domini? Di
ces ad eos. Ut quid nobis onus domini?
Proiciam quippe nos dicit dominus.
Et propheta et sacerdos et populus qui dicit
onus domini visitabo super virum
illum et super domum eius. Hec dice
tis unusquisque ad proximum et ad fratrem
suum. Quid respondit dominus. Et
quid locutus est dominus? Et onus
domini ultra non memorabitur. quia
onus erit unicuique sermo suus. et
pervertistis verba dei viventis domini
exercituum dei nostri. Hec dices ad prophe
tam interrogantem. quid respondit tibi
dominus. et quid locutus est dominus?
Si autem onus domini dixeritis: propter
hoc hec dicit dominus. quia dixistis
sermonem istum onus domini: Et
misi ad vos dicens. Nolite dicere
onus domini. Propterea ecce ego tollam
vos portans. et derelinquam vos et
civitatem quam dedi vobis et patribus
vestris a facie mea: et dabo vos in op
probrium sempiternum. et in ignomi
niam eternam que numquam oblivi
one delebitur. Capitulum. xxiiii.

Ostendit michi dominus.
et ecce duo calathi pleni
ficis positi ante templum
domini. postquam transtulit nabuch
rex babylonis iechoniam filium
ioachim regem iuda. et principes eius.
et fabrum. et inclusorem de ierusalem et
adduxit eos in babylonem. Et ca
lathus unus ficus bonas habebat
nimis. ut solent ficus esse primi
temporis. Et calathus unus ficus ha
bebat malas nimis: que comedi
non poterant eo quod essent male. Et
dixit dominus ad me. Quid tu vi
des ieremia? Et dixi: ficus. ficus bo
nas. bonas valde: et malas. malas
valde. que comedi non possunt. eo quod
sint male. Et factum est verbum domini
ad me dicens. Hec dicit dominus
deus. Sicut ficus hee bone. sic cognos
cam transmigrationem iuda. quam e
misi de loco isto in terram chaldeorum